TRACTATUS HAFNIENSIS.

SErenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini, Domini Caroli XI. DEI Gratia Svecorum, Gothorum Vandalorumque Regis &c. &c. Nos Commissarii Plenipotentiarii Scheringius Rosenhan, Liber Baro in Ikalaborg, Dominus in Torpa, Tysta, Engelholm & Hagen, summe memoratæ Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sveciæ Senator, Consiliarius Cancellariæ, & summus præfectus arcis Holmiensis, & Judex Provincialis Sudermanniæ: Steno Bielke, Liber Baro in Korpo, Dominus in Geddeholm, Grænsoë & Tanga, itidem altissime memoratæ Sac. Reg. Majest. Regnique Sveciæ Senator, Admiralis & Collegii Admiralitatis, Cancellariæque Consiliarius, notum testatumque facimus, quod, quandoquidem post nuper Roschildiæ 26. Febr. 1658. inter inclyta duo hæcce Septentrionalia Regna conclusam, confirmatam & ratihabitam pacem variæ controversiæ & simultates inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Carolum Gustavum quondam Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Esthoniæ, Careliæ &c. beatæ & gloriosissimæ nunc memoriæ, Regnumque Sveciæ ab una, & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum III. DEI Gratia Daniæ Norvvegiæ, Vandalorum, Gothorumque Regem &c. ab altera parte denuò subortæ sunt, quæ dissidia non ita pridem sopita rursum excitarunt, ac eousque propagarunt, & dilatarunt, ut inde non solum inter summe memoratam Sac. Reg. Majest. Sveciæ gloriosissimæ memoriæ, & summe itidem memoratam Sac. Reg. Majest. Daniæ apertum bellum inceptum, verum etiam sub Serenissimo ejus Filio, nunc Regni Gubernacula tenente, in hunc usque diem continuatum sit, eaque de causa Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus XIV. Galliarum ac Navarræ Rex, tum vero Serenissima Respublica Angliæ, ac Celsi & Præpotentes Dom. Ord. Belgii, ex singulari affectu consultum duxerunt, omni possibili modo id agere, ut bellum hoc tam late serpens sopiretur, inque ejus locum exoptata pax, securitas ac fida amicitia rursum reduceretur. In eum finem aliquo abhinc tempore, proxime scilicet elapso anno ad utrasque Regias Majestates Sveciæ, Daniæque ablegantes plena potestate munitos suos respective Legatos, Commissarios, Deputatos, Plenipotentiarios, primum quidem summe memorata Serenis. R. M. Franciæ suum Consiliarium & ad Sacram Regiam Majestatem Sveciæ Legatum Ordinarium, Excellentissimum Dominum Hugonem Terlonium, Equitem S. Joannis Hierosol. & deinceps Serenissima Angliæ Resp. suos ad S. S. R. R. M. M. Sveciæ. & Daniæ Commissarios & Plenipotentiarios, Excellentissimos Dominos, Dominum Algernonum Sidney, unum è Parlamento & è Consilio status, autoritate Parlamenti; & Dominum Robertum Honnivvod, Equitem & ex Consilio status prædicto: Tum Celsi ac Præpotentes Dom. Dom. Ordines Generales Provinciarum Fœderati Belgii

Belgii ſuos itidem Deputatos, Plenipotentiarios, Excellentiſſimos Dominos, Dn. Godefredum à Slingeland, Conſiliarium & Aſſeſſorem Urbis Dordracenæ Primarium, Dominum Petrum Vogelſang Conſiliarium ac Syndicum Urbis Amſterdamenſis, Dom. Petrum de Huybert à Secretis D.D. Ordinum Zeelandiæ, nec non Dominum Wilhelmum ab Haren, agri Bilthani in Friſiis Grietmannum & Toparcham, ad conſeſſum D.D. Ordinum General. nomine Provinciarum Hollandiæ, Zeelandiæ Friſiæque Deputatos, Commendatos ut utrique S.S. Regiæ Majeſtati ad oculos ponerent, præſentium rerum conditionem & quantum diſcrimen quæque calamitas ſubſecutura hoc belli incendium eſſet, ni idoneis ac decentibus mediis mature ſedaretur. Tum &, ut compoſitionem pacificaque conſilia permoverent, & quo tanto magis ſalutare hoc pacis negotium promoveretur, ſuorum Dominorum &Principalium interpoſitionem & mediationem offerrent. Quapropter poſtquam ſumme memorata S. R. M. Sveciæ glorioſiſſimæ memoriæ Rex quondam noſter Clementiſſimus, inductus alte memoratorum Fœderatorum ſuorum ſedulis & amicis perſuaſionibus, tum proprio quo ferebatur motu ac deſiderio deponendi hujus belli, & obtinendæ ſecuræ duraturæque pacis, nec non firmandæ fidæ amicitiæ, & bonæ correſpondentiæ cum Sacra Regia Majeſtatis Daniæ vicino & amico ſuo in poſterum colendæ, tam ſalutari & Chriſtiano conſilio & oblatæ mediationi aures pronas & aſſenſum præbuit: & Sacra Regia Majeſtatis Daniæ Rex, ad id ſe induci ſivit, cum alte memoratorum fœderatorum ſuorum ſedulis & amicis perſuaſionibus, tum proprio quo ferebatur motu ac deſiderio deponendi hujus belli, & obtinendæ ſecuræ duraturæque pacis, nec non firmandæ firmæ amicitiæ & bonæ correſpondentiæ cum Sac. Reg. Majeſtatis Sveciæ vicino ſuo, in poſterum colendæ, & alte memorata moderna, Sereniſ. Majeſt. Sveciæ, Dominus noſter Clementiſſimus, divi Parentis veſtigiis inſiſtens, ejusque proni in pacem animi exemplo, nihil magis expetiit, aut cordi ſibi eſſe ſivit, quam ut omnes, quæ inter duo ſeptentrionalia hæc Regna enatæ ſunt controverſiæ, interveniente ſæpe memoratorum S. R. Majeſtatis Fœderatorum induſtria & cooperatione funditus omnino tollantur, ac firma tuta ac perpetua pax viciſſim ſanciatur: idcirco factum eſt, ut congreſſus inter utriusque Regni Commiſſarios & Plenipotentiarios conſtitueretur, & nos ſupra ſcripti cum ſumma memoratæ S. R. Majeſtatis Regnique Daniæ Commiſſariis, Plenipotentiariis, Illuſtribus Dominis, Domino Olao Paſbergio in Janit, Equite, Axelio Urupio in Belteberg, Equite, & Petro Rezio in Tijgeſtrup, ſupremo Theſaurario, Præfectis Regiis in Weſtervvick, Dalum & Mœna conveniremus, ubi poſt Procuratoriorum Plenipotentiarumque noſtrarum tabulas mutuo perluſtratas, easque legitimas repertas, & rite invicem permutatas, pacificationis hoc negotium aggreſſi ſumus, proponentes Nobis Inſtrumentum Pacis Roſchildianæ per omnes ſuos articulos percurrendum, eo quidem fine ac intentione, ut iſti tractatui, tanquam fundamento ſive baſi novam hancce pacificationem ſuperſtrueremus & experiremur, quomodo omnia & ſingula ita peragerentur, ut rite ſibi invicem reſpondere, & ad præſentium temporum conditionem adaptari & conformari poſſent. Quo in negotio etiam ſupra nominati Dn. Mediatores ſummam ſuam diligentiam, magnam induſtriam, prudentiam & indefeſſam curam ac laborem tamdiu & ſine tædio adhibuerunt, ut rem eo perduxerint, ut jam prædictum Pacis Roſchildianæ Inſtrumentum diligenter pervolverimus, quicquid in illo præſenti tempori convenire, & ex æquo reſpondere deprehenſum fuit, invariatum retinuerimus, probaverimus, confirmaverimus, quicquid vero mutatione aliqua indigere viſum erat, neceſſariis explicationibus, limitationibus, additionibus & reſtrictionibus adhibitis, præſenti tempori, negotiorumque conſtitutioni ita adaptaverimus, ut tandem divina favente gratia nomine S. S. R. R. Majeſtatum, Eorumque Succeſſorum ac Regnorum Sveciæ ac Daniæ mutuo beneplacito conventum ſit in hæc pacta & articulos qui ſequuntur.

I. Uti

I. II.

Uti I. & II. in Roſchildenſi.

III.

Uti IV. in Roſchildenſi.

IV.

Quemadmodum per pacta Roſchildenſia anno 1658. die 26. Febr. concluſa à Sacra Regia Majeſtate Regnoque Daniæ Sacr. Reg. Majeſtati Sveciæ ceſſa eſt arx & præfectura Bahuſienſis, ut & Scania, Blekingia & Hallandia Provincia cum omnibus eo appertinentibus urbibus & Caſtellis, Inſulis, ſcopulis, cumque Huena inſula poſtmodum quoque ceſſa cum omnibus aliis ſuperioritatibus, præeminentiis, regalibus, jurisdictionibus tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus, bonis & appertinentiis, cenſu, proventibus, vectigalibus, reditibus ac juribus, tam mari, quam terra, quocunque nomine veniant, ſicut Daniæ, Norvvegiæque Reges antehac eadem poſſederunt, Regno Sveciæ impoſterum incorporanda in perpetuam & nunquam turbandam poſſeſſionem, quemadmodum peculiares Ceſſionales datæ Hafniæ 24. Febr. Anno 1658. à Sac. Reg. Majeſt. & Senatoribus Regni Daniæ ſubſcriptæ & ſignatæ ii amplius declarant; Ita hisce plane confirmatur & omni modo corroboratur earum Provinciarum, regionum, præfecturarumque ceſſio, ut dictæ Provinciæ, Regiones ac præfecturæ cum omnibus eo pertinentibus Urbibus, arcibus & caſtellis, inſulis, ſcopulis, ſuperioritatibus, præeminentiis, jurisdictionibus & omnibus juribus, quemadmodum ſupra memoratum eſt, in Sacræ Regiæ Majeſtatis ejus ſucceſſorum, Regnique Sveciæ ſempiterna & imperturbata poſſeſſione nunc & perpetuo maneant.

V.

Et ſiquidem ex re viſum, ut, quod conventionem de inſula Bornholmia attinet, ſeparato receſſui inſeratur, idcirco concluſum eſt, ut iſte actus ſive receſſus ejusdem ſit vigoris & roboris, ac ſi verbotenus hic comprehenſus eſſet, & ab utrisque Sac. Sac. Reg. Reg. Majeſtat. Majeſtatibus ratificetur, atque juxta reliqua pacta & conventa inviolabiliter obſervetur.

VI.

Quandoquidem etiam ignium nocturnorum, qui inter Schagam & Falſterbo non ſine ingenti navigantium commodo inſtituti ſunt, quidam in Sacr. Reg. Majeſt. Sveciæ ditionibus, ſumtibus & impenſis Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ, quidam vero in ditionibus S. R. Majeſtat. Daniæ ejus impenſis ali debent, iſtorumque ignium nomine vectigal quoddam à ſingulis navibus præter navigantibus Sacr. Reg. Majeſtati Daniæ ſolvitur. Conventum eſt, quod in refuſionem ſumtuum, qui alendis dictis ignibus impenduntur, & ad compenſandas ex æquo impenſas Sac. R. Majeſt. Daniæ obſtricta erit annuatim expendere ſummam trium millium quingentorum imperialium, cujus ſummæ dimidium ſingulis ſemeſtribus S. R. Majeſt. Sveciæ Miniſtro Elſingoræ vel Elſingburgi adnumerabitur, ita tamen, ut S. R. Majeſtat. Regnumque Sveciæ nec inde, nec quocunque prætextu ullum jus, vectigal, aut tributum aliquod in Oreſundico freto imperandi aut exigendi prætendat.

VII.

Conventum quoque eſt, ut quotiescunque Svedicarum bellicarum navium, una pluresve majores ſive minores, Fretum Oreſundicum tranſeunt, è regione arcis Croneburgenſis teſſeram Svecicam tormentorum diſploſione edant, ac viciſſim Danica teſſera ab arce edita ſimiliter honorentur, ſed & navium Danicarum Bellicarum una vel plures per Fretum tranſeuntes itidem ante Helſingburgi arcem teſſeram Danicam tormentorum exploſione edent, & ſimiliter ipſæ teſſera Svedica ab arce viciſſim honorabuntur. Sin vero acciderit, ut naves Svecicæ Daniæque vel in mari aut in portubus ſibi occurrant, vel invicem ſe ibi oſtendant, quo demum numero ab una alterave parte fuerint, nullæ ex eis tenebuntur velum velave ſupremi mali

mali demittere, verum consueta tantum tessera juxta usum, qui ante hæc obtinuit, mutuo se amicabiliter salutabunt.

VIII.

Quandocunque continget, alterutrum Regum copias militares navesque armatas ex Oceano in mare Balticum, vel inde in Oceanum transferre & mittere, atque numerus earum juste suspicionem quandam creare possit, conventum atque concordatum est, quod siquidem copiæ militares, quæ simul transportantur excedant mille ducentos, naves vero bellicæ superent numerum quinarium, tribus ad minimum hebdomatibus utrinque id prævia notificatione, & quidem à Sacra Regia Majestate Sveciæ Helsingoræ aut Neoburgi, à Sacra Regia Majestate Daniæ vero Helsingburgi tantum facienda, absque ulla alia notificatione, quando sive copiæ sive naves bellicæ per Fretum Balticum transeunt, significandum sit priusquam adveniunt.

IX.

Uti VII. in Roschildensi.

X.

Pari modo conventum est, ut quicquid residuum est ex summa, pendenda propter onus salis, quo tres Svecicæ in Freto Oresundico sub initium prioris belli detentæ, naves oneratæ fuerunt, secundum liquidationem Hafniæ postea factam, exsolvatur, eaque de causa ita transactum, ut Regia Majestas Daniæ intra anni & diei spatium, prædictam restantiam per certos & qui solvendo sunt mercatores Hamburgi ei adnumeret, quem Sacra Regia Majestas Sveciæ ad eam summam accipiendam ordinaverit.

XI.

Uti VIII. in Roschildensi.

XII.

E contrario à Sacra Regia Majestate Regnisque Sveciæ promissum fuit, quod omnes status sive Nobiles sive Ignobiles, sive Ecclesiastici sive seculares, sive cives sive agricolæ istarum Daniæ Norvegiæque provinciarum ac præfecturarum, quæ mediantibus hisce Tractatibus fuerant cessæ, bona sua ac proprietates, quæ vel hæreditatis, emptionis, permutationis aut oppignerationis titulo ante bellum eis competunt, vel à Regno seu privatis invicem jure acceperunt, retinere debeant, & ita quidem, ut in posterum quoque plena facultas ipsis maneat bona illa seu proprietates possidendi, utendi, fruendi, retinendi, ut & alienandi, reddendi, permutandi, sicut olim obtinuerunt; similiter retinebunt, consueta sua jura, leges, & super bonis ipsorum ac prædiis dominicis antehac obtenta jura, privilegia & immunitates, cujusmodi sunt Bircæ, Vitæ ac Manus, ut & Patronatus secundum provinciæ leges ac constitutiones & jura sine omni impedimento & turbatione, in quantum tamen illa non contrariantur vel pugnant cum legibus fundamentalibus Regnorum Sveciæ, cum quibus scilicet cessæ hæ provinciæ ac præfecturæ in perpetuum posthac adunientur & consociabuntur. Quicquid in provinciis concessis, lege, judicio aut jure decisum, aliisque legitimis modis diremtum, & ad finalem litis processum perductum est, illud omne posthac penitus & modis omnibus immutatum & immotum permanebit. Ut etiam appareat, Sacram Regiam Majestatem Sveciæ ex singulari gratia & indulgentia malle eorum conditionem meliorem reddere, quam diminuere, promissum fuit, ut omnes Nobiles, qui Sacræ Regiæ Majestatis ac Regnorum Sveciæ jurisdictioni sese omnino subjecerint, quoad personas illorum utantur omnibus illis prærogativis & privilegiis, quibus Regiæ Majestatis Regnique Sveciæ subditi & Nobiles fruuntur, ut videlicet in Equestrem Curiam Nobilium Sveciæ recipiantur admittanturque & æquali cum iis ferendi voti jure gaudeant, secundum primam ordinandæ equestris Curiæ constitutionem, idque ita quidem, ut quotquot Nobilium probare possint, se aut majores suos Senatorio munere

in Regno Daniæ functos fuisse, ea prærogativa honorandos se sciant, ut in secundam classem Equestris Sveciæ Ordinis admittantur. Cæteri vero juxta Equestris Curiæ ordinantiam recipiantur, atque ita plane hoc ipso in Nobiles Svecos cooptabuntur, usuri pari cum cæteris Nobilibus Svecis accessu & admissione ad beneficia & honores, quamprimum se capaces ejus rei declaraverint. Similiter promisit S. R. M. Sveciæ, non minus curaturam sese cæterorum Ordinum in cessis hisce provinciis, terris ac præfecturis commoda & conditiones ad conservanda eorum antiqua privilegia & libertates sine impeditione aut turbatione ulla, ita ut & illi, si infidelitate & debita devotione erga S. R. M. Sveciæ perseverant, spem certam conditionis illorum meliorandæ habere debeant, & similiter pari cum indigenis Svecis jure ad beneficia & functiones adspirare.

XIII.

Ut omnes sive in Scania sive in Dania aut Norvvegia incolæ, qui bona & proprietates in Scania, Hallandia, Blekingia & præfectura Bahusiensi cæterisque cessis provinciis aut urbibus habent, Nobiles aut Ignobiles, Ecclesiastici vel seculares, cives vel agricolæ nullo penitus excepto, libere rursum bonis ac prædiis suis fruantur eaque retineant cum omnibus, quæ ibidem reperiuntur & ad ipsos pertinent, mobilibus vel immobilibus, utque eorum possessiones proxime venturo die S. Joannis adeant & recipiant cum cunctis antehac obtentis privilegiis ac juribus in bona, prædia ac proprietates eum ad modum, sicuti super iis in pactis Roschildensibus transactum & conclusum est, eaque à S. R. M. Sveciæ postea aucta & meliorata sunt, sine ulla vindicta aut damno inferendo ob id, quod ab uno alterove, cujuscunque sortis aut conditionis fuerit, durante hoc ultimo bello factum & perpetratum est, ea tamen conditione, ut utrinque quidem circumspecti atque moderati Commissarii constituantur, qui inter utramque partem amicabiliter transigant, & æquam liquidationem faciant, in plenam utriusque partis satisfactionem, ut ab initio statim exoptatæ hujus pacis cunctis diffidiis obviam eatur.

XIV.

Uti X. in Roschildensi.

XV.

Contra S. R. M. ejusque Successores & Regnum Sveciæ S. R. M. ejusque Successoribus & Regno Daniæ cedunt omnia illa jura ac prætensiones, quas S. R. M. habere potest in omnia fortalitia, munitiones, insulas, provincias, urbes & territoria, quæ in hoc bello virtute suorum armorum occupavit, nominatim in Selandiam, Lalandiam, Falstriam & Mœnam cum omnibus inibi sitis arcibus & munimentis Nyscopia, Nascovia, Fortalitio Coofter, Corsoer, Coëga & Cronenburgo, itemque aliis in hisce Daniæ Norvegiæque Regnis occupatis urbibus, castellis, munimentis, præfecturis, Nobilium arcibus & territoriis, quomodocunque nominari possint, quæque in hac transactione per expressum excepta non sunt, nec S. R. M. horum aut priorum pactorum vi cessa. Et postquam secundum tenorem hujus tractatus reddita & restituta fuerint, cum omnibus suis appertinentiis & juribus S. R. M. ejus Successores & Regnum Daniæ sine omni impeditione sequentur.

XVI.

Et quo possit mutua inter hæc duo Regna fiducia & amicitia eo melius stabiliri S. R. M. Regnumque Sveciæ nullam vult refusionem impensarum in munimenta, fortalitia & opera à S. R. M. Sveciæ in Dania excitata & extructa: verum ea cuncta S. R. M. Regnoque Daniæ tempore evacuationis nullatenus destructa, inque eo statu, quo nunc sunt, integra tradenda curabit.

XVII.

Similiter ad instantiam DD. Mediatorum & amore pacis ceditur S. Reg. Majestati Regnoque & Coronæ Daniæ Domus & præfectura Truntheimensis seu Nidrosiensis una cum omnibus subjacentibus urbibus, oppidis, arcibus ac munimentis, ut & bonis Ecclesiasticis ac se-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac ſecularibus, præfecturis & appertinentiis, Fœdere Roſchildenſi Sacr. Reg. Majeſtati Sveciæ conceſſis, ut Regno Norvvegiæ rurſum in perpetuam poſſeſſionem ac proprietatem coaleſcat, nulla à Sacra Regia Majeſt. ſibi ſuisque ſucceſſoribus & Regno Sveciæ in poſterum reſervata prætenſione, in quem finem literæ ceſſionis S. R. Majeſtati Daniæ deſuper juxta articulum VI. pactorum Roſchildenſium factæ reddentur & caſſabuntur.

XVIII.

Uti XIII. in Roſchildenſi.

XIX.

Atque ut renovata hæc amicitia eo firmiori fundamento inniti queat, S. R. Majeſt. Regnumque Sveciæ deſerere atque remittere vult, quemadmodum hiſce deſerit ac remittit jus, quod Regia Majeſtas ejusque ſubditi propter negotium Guineenſe in quatuor tonnas auri prætendit, ita ut abhinc nihil ob eam ſummam ulterius petatur & exigatur, verum Sac. Reg. Majeſtas Regnumque Daniæ ab omni ſolutione ſine ulla vel minima prætenſione, immune penitus maneat.

XX.

Sicut autem munimenta utriusque partis, tam quæ hoc bello occupata ſunt, quam quæ per hanc pacificationem cedentur, ſine tormentis, apparatu & commeatu bellico tradentur arce Cronenburgenſi excepta, ubi juxta unitam conventionem ea tormenta retinenda, quæ à Svecis illuc non advecta, quæve præter hæc nec Svecica inſignia habent, nec aliis inſcriptionibus ad Svecos pertinentibus notata reperiuntur; Ita invicem convenit, ut agricolæ earum præfecturarum, in quibus illa munimenta ſita ſunt, teneantur tormenta, apparatum bellicum & commeatum ad litus devehere, unde commodiſſimæ in naves imponi ac deferri poſſint.

XXI.

Concluſum quoque & promiſſum eſt, quod in iis fortalitiis, quæ ab una vel altera parte cedentur, certum aliquod ſpatium determinandum ſit, uti ille, qui locum munitum cedit, ſuum apparatum bellicum & commeatum, qui nunc ibi reperitur, tamdiu conſervet ac cuſtodiat, donec tempore commodo eundem alio transferre poterit.

XXII.

Omnes utrinque captivi, cujuscunque fortunæ & conditionis ſint, ſine ullo lytro ſtatim liberi dimittantur. Quod autem ipſorum ſuſtentationem attinet, pro ea ſecundum æquitatem ſatisfacient. Omnes itidem S. R. Majeſtatis Daniæ ſubditi, quos Rex & Corona Sveciæ ex provinciis & regionibus Danicis in alia quæcunque loca transferri curavit, liberam atque nullo modo impeditam habeant poteſtatem revertendi poſtliminio in patriam, & in libertatem priſtinam remeandi. Captis, qui ſacramento militari ſe addixerunt, & ſub vexillis Svecicis merentur, detur facultas redeundi, quibus id volupe eſt, uti & ab altera parte iis, qui merentur ſub ſignis Danicis, dummodo id fiat intra ſpatium trium menſium poſt ratificatam pacem.

XXIII.

Conventum quoque eſt, quod loca ab alterutro Regum intercepta aut expugnata poſt initam Roſchildiæ pacem, vigore horum pactorum reſtitui, illique parti denuo accedere debent, cujus aut fuerunt, aut ex autoritate fœderis Roſchildiani debuerant eſſe, eruntque hæc omnia confecta & conſummata, omnesque Reg. Majeſtatis Sveciæ copiæ equeſtres & pedeſtres ex omnibus Reg. Majeſtatis Daniæ Regnis, Ducatibus, provinciis & terris eductæ intra quatuordecim dies ad minimum à die permutatæ ratificationis, quæ intra menſis ſpatium poſt concluſam pacem fieri debet. In hunc quidem modum, ut quamprimum pax ſubſcripta, eodemque die publicata fuerit, obſidio ad Hafniam ſolvatur, ita ut caſtra intra quatuor ſubſequentes dies evacuentur, & intra quatuor rurſum proxime ſequentes dies Nycopia, Falſtria & Moöna cedatur. Et

econtra eodem tempore Tonninga obsidione liberetur, totumque Eyderstadium & Husum evacuetur. Octiduo post iterum Nascovia cedetur, Danisque tradetur, & sub idem tempus simul ac naves paratæ ac præsto fuerint, eductionis copiarum initium fiat. Octiduo rursus post hæc Koega cedetur, militesque inde deducentur. Quamprimum ratificationes intra mensis spatium post signatam pacem permutatæ, navesque ad transportandum militem paratæ & ad manus fuerint, quatuor diebus insequentibus Corsoera tradetur, & militibus navigiis impositis avehendi copias initium fiet, atque tunc temporis una Celsissimi Ducis Holsatiæ terræ ab omnibus Regiæ Majestatis Daniæ militibus liberatæ erunt. Statim postea, quæ adhuc restant copiæ sive pedestres sive equestres, naves portubus opportunis conscendent, similiterque ex Cronenburgo avehentur, ita ut munimentum decimo quinto die post permutatas ratificationes, sive quando sex septimanæ post pacis conclusionem elapsæ sunt, totaliter cedatur.

XXIV.

Et ut in permutationibus fortalitiorum & eductione militum ex urbibus & provinciis prædicto termino incolis nulla vis aut injuria inferatur, sed ordine cuncta fiant, aderunt ab utraque parte Commissarii, qui ubicunque locorum in urbibus & Trajectibus sedulam curam agant, ne subditis aliquid vi & direptione auferatur, vel aliud quid illicitum injungatur, sub debita pœna transgressori infligenda. Et quemadmodum exercitui Svecico, quamdiu in his terris commorabitur, ne necessaria sustentatione prospiciendum: ita quoque hac in re bonus ordo & disciplina servabitur, & hoc quidem modo, ut post diem conclusæ pacis à subditis nihil amplius pro redimendis ædibus, vel sub aliorum belli onerum prætextu, quocunque demum nomine fiat, petatur & exigatur, nisi quod ad debitam exercitus sustentationem juxta constitutionem à Commissariis utriusque partis faciendam, quamdiu in hoc Regno permanebit, opus erit. Et ut eo citius ac melius evacuatio perficiatur, Sac. Regia Majestas Daniæ jam illico & in tempore ubicunque trajectus opportuni sunt, in qualibet provincia imperari jubebit, ut omnes idoneæ naves, pontones ac navigia cum apparatu, nautis & hominibus necessariis colligantur, inque promtu sint, quemadmodum S. R. M. Sveciæ similiter in prope sitis, & ad suam S. R. M. pertinentibus locis necessaria navigia procuranda jubere vult, quo militum eductio, locorumque evacuatio omni modo maturetur, nec nisi vento impediatur. Cunctaque navigia, una cum nautis & hominibus ad ea pertinentibus, ut & alia quæ à parte Daniæ ad prædictam evacuationem faciendam procurabuntur, post finitam & præfectam trajectionem sine omni detentione atque molestia libere statim dimittentur.

XXV.

Uti XX. in Roschildensi.

XXVI.

Priores transactiones & pacta, videlicet Stetinensia, Siæredensia, Bromsebroensia & Roschildensia, tertio articulo excepto, qui hic plane exclusus est, inter inclyta hæcce regna olim inita valorem & vigorem suum integrum in omnibus articulis obtinebunt, & non secus, ac ante belli hujus initium, rata erunt, & quasi huic tractatui ad verbum inserta essent, nisi in quantum hic expresse immutata sunt.

XXVII.

Cum Articulo XXII. Pactorum Roschildensium cautum sit, quod S. R. M. Daniæ tenebitur secundum æquitatem satisfacere Celsissimo Principi Slesvici, Holsatiæ Gottorpiensi Duci, postea quoque ea de re utriusque partis tam R. Majestatis Daniæ quam S. Celsitudinis Commissarii inter se tractarunt, atque Hafniæ 22. Maji A. 1658. tandem transegerunt, atque concluserunt, conventum hisce est, ut ea omnia pacta & transacta accurate observentur, & undecunque fideliter & ex amussi adimpleantur.

XXVIII.

XXVIII.

Si quid præterea in hocce vel superiore bello acciderit, quod tum inter S. R. M. Regnumque Daniæ & S. Celſ. Ducem Holſatiæ Gottorpienſem uno vel altero modo ſimultates & diffidentiam producere & creare poſſit, vel tam à S. R. Majeſt. Daniæ & Sua Celſit. inter ſe, quam eorum miniſtris, famulis & ſubditis invicem aliter quam in bonam partem acceptum fuerit, illud omne ab hac die cum intuitu mutuæ conſanguinitatis, & imprimis S. R. Majeſtatis Reginæ Sveciæ, tum ut inter utramque Regiam ſcilicet Ducalemque Holſaticam Gottorpienſem Domum ſolida & perpetua amicitia permaneat, in ullius præjudicium nunquam in memoriam revocabitur, ſed virtute hujus transactionis ab utraque parte componetur, oblivioni tradetur, & in totum delebitur. Vult etiam S. R. Majeſtas Daniæ non ſolum, cum in Dania evacuatio fit, ſuum exercitum atque copias ſuas ex S. Cels. Regionibus, munimentis & urbibus educere, ſed etiam omnem operam dare, ut Sacræ Regiæ Majeſtatis confœderati S. Celſ. munimenta, urbes & terras ſimiliter ſine mora ac tergiverſatione evacuent.

XXIX.

Quicunque Reges ſive Respublicæ, Poteſtates & Principes pace hac comprehendi cupiunt, apud utrosque Reges id requirere debebunt. Per expreſſum vero hiſce includuntur, Imperator Romanus, Rex Poloniæ & Elector Brandenburgicus, una cum Regnis, Electoratu, Ducatibus & Provinciis eorum. Ita ut Sacra Regia Majeſtas Regnumque Sveciæ nullam quærat prætenſionem, ſub quocunque prætextu adverſus alte memoratum Imperatorem, Regemque Poloniæ ac Electorem Brandenburgicum propter auxilium ab ipſis hujus belli tempore contra Regnum Sveciæ ejusque confœderatos præſtitum.

XXX.

Includitur quoque huic pacificationi Dominus Antonius Guntherus Comes in Oldenburg & Delmenhorſt, Dynaſta in Jeveren & Kniphauſen, ejusque ſucceſſores Feudales & Allodiales, una cum Comitatibus, Dynaſtiis, terris, bonis ac juribus appertinentibus, uti & Dominus Joannes Princeps Anhaltinus lineæ Zerveſtanæ, ratione ditionis Zeverenſis, & Dominus Comes Antonius ab Oldenborgh, Nobilis Dominus in Varel & Kniphauſen cum ſuis Dynaſtiis, Dominiis, bonis ac juribus.

XXXI.

Conventum præterea eſt, omnes Hanſatico fœdere comprehenſas civitates, nullis exceptis includi, ut gaudeant & fruantur liberis & non impeditis Commerciis terra marique in utroque Regno. Et ſi quid in hoc bello evenit, quod unam alteramve partem offenderit, ſublatum id ipſum ſit, & perpetua oblivione ſopitum.

XXXII.

Et quandoquidem circa tempus Pacificationis Roſchildenſis ſecreti quidam articuli concluſi, qui hic reiterati non ſunt, illi omnes eundem vigorem obtinebunt, ac ſi verbotenus tractatui huic inſerti eſſent. Adhæc, quæcunque ſcripta durante hoc bello ab uno alterove in alterius nationis præjudicium atque ſcandalum tendentia edita eſſe poſſunt, hiſce penitus tollentur, caſſabuntur ac prohibebuntur, inque nullo ex hiſce Regnis abhinc divulgabuntur aut recudentur.

XXXIII.

Uti in Roſchildenſi XXVII. niſi quod pro Carolo Guſtavo ponitur Carolo Rege Sveciæ.

XXXIV.

Concluſum quoque & promiſſum fuit, quod ab utraque parte unus Regni Senator cum Secretario circa diem 24. Junii proxime futurum Helſingoræ convenient, & hujus tractatus ratificationem utriusque partis ſubſcriptione & ſigillorum impreſſione roboratam & firmatam modo conſueto ſecum adferent, invicemque permutabunt. Ubi ſimul Svecici

cici literas Cessionis super præfecturam Drundheimensem secum habebunt, & eodem tempore Commissariis Danicis inconclusæ pacis robur, firmitudinem & observantiam extradent ac exhibebunt.

In majorem fidem & confirmationem hæc ut jam præscripta sunt, in omnibus suis articulis acta, pacta, decreta & conclusa esse, & à parte S. Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi & Regnorum Sveciæ fideliter & firmiter servatum, eorumque præterea ratificationes prædicto die allatum & constituto loco traditum iri, ideo manuum nostrarum subscriptionibus hæc confirmavimus. Et quoniam ad majorem eorum omnium securitatem & conservationem S. R. Majestatis Christianissimi Galliarum Regis, ut & Serenissimæ Reipubl. Angliæ & Celsorum ac Præpotentium D. D. Fœderati Belgii respective extraordinarii Legati, Commissarii & Deputati Plenipotentiarii, nomine suorum Dominorum Principalium similiter promiserunt, & cautione reciproca, sive garantia tam generali omnium trium statuum simul, quam speciali singulorum statuum seorsim obstrinxerunt. Quemadmodum hisce etiam in forma omnium optima, amplissima securissimaque sese invicem mutua obligatione obstringunt, ut actorum transactorum sponsores, fidejussores vindicesque sint, idque effectum dent, ut hæc pacta conventa sedulo ac penitus per omnes suos numeros impleantur, & rite in perpetuum observentur, tum quod procurare velint, ut ratificationes suorum Dominorum Principalium desuper extradantur: Ideo ab illis, tanquam non solum pacis mediatoribus, sed etiam pactorum conventorum sponsoribus, fidejussoribus, vindicibus, petivimus, ut in majorem omnium confirmationem & certificationem hæc nobiscum subscribere & sigillis suis obsignare velint. Actum in Castris ad Hafniam die 27. Maji Anno 1660.

Hugues de Terlon
(L.S.)

Alo Sidney
(L.S.)

Gr. van Slingeland
(L.S.)

Schering Rosenhan
(L.S.)

Robert Honyvvood
(L.S.)

Peter Vogelsang
(L.S.)

Steno Bielke
(L.S.)

Peter de Huybert
(L.S.)

W. Haren.
(L.S.)

INSTRU-